(10)

TENTAMEN MEDICUM
INAUGURALE
DE
RUBEOLA;

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI *SENATUS ACADEMICI* CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ *FACULTATIS MEDICÆ* DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

THOMAS WILLIAMS,

Hibernus.

Scribimus indocti. ————————

Hor. *Epist.*

IV. NONAS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXIV.

HERBERTO BALDWIN, M. D.

PROPTER MULTA BENEFICIA,

HANC DISSERTATIONEM,

SUMMA REVERENTIA,

CONSECRART

THOMAS WILLIAMS.

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

DE

RUBEOLA.

THOMA WILLIAMS Auctore.

RUBEOLA morbus contagiosus est, qui a veneno specifico originem ducit, et contactu, vel inspiratione, propagatur. Nunquam fere, cuivis sæpius quam semel per totam vitam accidit; quamvis antiqui existimabant sibi contigisse videre qui hoc morbo iterum laborabant; iis vero non omnino confideremus, quoniam eum a Scarlatina non dignoscebant; et eo magis quod ab auctoribus recentioribus nulla mentio fit de Rubeola vera, vel catarrho comitata, iterum grassante.

Adjiciendum tamen est, in nostris temporibus, non deesse medicos, qui cum antiquis sentiant Rubeolam bis adoriri posse, ut in Variola nunc accidere videmus, vel post variolam ipsam, vel post vaccineam.

Omnes fere, huic morbo obnoxii esse videntur, qui ab eo non prius affecti fuerunt, et qui inter ægros sub eo laborantes versantur. Verba Doctoris Willan, de hac re sunt sequentia: "I do not recollect any one wholly unsusceptible of this disease after repeated exposure to the contagion, as happens in the small pox in a very considerable proportion *."

CLASSIS ET SIGNA.

In classe Pyrexiarum et ordine Exanthematum a Culleno ponitur Rubeola, et ab eo sic definitur: "Synocha contagiosa, cum sternutatione, epiphora, et tussi sicca, rauca.

"Quarto die, vel paulo serius, erumpunt papulæ exiguæ, confertæ, vix eminentes, et post tres dies in squamulas furfuraces minimas abeuntes."

* On Cutaneous Diseases, p. 215.

In species duas dividit, nempe in Rubeolam Vulgarem et Rubeolam Varioloidem. Sitne hæc Rubeolæ species propria ipse dubitat. Dr WILLAN in tres species dividit, scilicet in Rubeolam Vulgarem, R. nigram, et R. sine catarrho. In paginis sequentibus, de Rubeola vulgari præcipue in animo est dicere, cujus R. maligna auctorum varietas aggravata est: de aliis vero hujus divisionis speciebus leviter agendum est; quippe quæ rarissime apparent, et nullam rationem medendi propriam postulant.

Inter diem octavum et decimum quartum post contagionem in corpus receptam, plerumque apparent Rubeolæ indicia; multum vero abest ut in omnibus tempus idem sit. Primo invadunt calor, cum frigore cito alternans, rigoresque leves, quibus succedunt calor major, cephalæa, anorexia, nausea, et aliquando vomitus biliosus, sitis urgens, dolorque dorsi et lumborum, cum lassitudine; lingua albida est et humida, faucesque tumefactæ et rubræ, cum tussi sicca: nunc quoque vexant ægrum epiphora et defluxio aquæ acridæ e naribus, cum sternutatione frequente. Pulsus frequens et durus est. In exemplis fere omnibus respiratio difficilis est et creber, cum lateris vel alicujus thoracis par-

tis dolore, aliisque pneumoniæ signis; quibus sæpe superadduntur, præcipue in pueris, delirium sub noctem, et coma; hoc quidem apud nonnullos auctores inter signa ejus communia enumeratur. In exemplis gravioribus adsunt quoque subsultus tendinum et spasmata surarum. Omnia symptomata jam recensita non necessarie, in eodem ægro conjunguntur, et quidem non sæpe nisi in morbo gravi simul aliquem afficiunt.

Die morbi quarto, et aliquando paulo citius, apparet eruptio papularum in frontem et mentum, eademque die omnem faciem perrepit; die sequente ad collum et omnes trunci corporis partes extendit, et postremo in membra videtur. Primo efflorescunt maculæ parvæ et discretæ, coloris rubri vel purpureo-rubri; paulatim augescunt, donec post breve tempus concrescant, et ita varias formas simulant, maxime tamen lunæ crescentis, id quod doctissimus WILLAN omnium primus notavit. Hæ maculæ non manifestæ elevatæ sunt, tactu vero paululum sentiuntur. In hoc morbo non remittunt febris signa, apparente eruptione, ut in variola accidere solet; sed contra sæpe multum graviora fiunt, donec penitus evanuerit.

A die sexto usque ad diem nonum evanescit

exanthema; et postea in squamulas minimas abit epidermis, sæpe cum pruritu gravi. Hoc tempore non raro invadit diarrhœa, quæ si diu perstet, et sisti difficilis sit, ægri vires multum minuit.

Species *maligna* ab auctoribus notata ab hac non differe putatur, nisi in asperitate symptomatum, (quoniam altera in alteram remediis inaptis convertitur), hisque temporibus perraro videtur; neque nisi raro, accidunt signa gravia thoracis et abdominis, ut ab eruptione repulsa orta, quæ a WILLANO et aliis descripta fuerunt. Idoneum est tamen symptomata propria hujus varietatis hic dare, ut ab auctoribus descripta fuerunt. Inter hæc enumeranda sunt respirandi magna difficultas, eruptio livida et brevi post tempore evanescens, facies pallida eodem tempore vero fervida, cum frigore membrorum inferiorum; pulsus parvus est et debilis, et plerumque adsunt tinnitus aurium et delirium. Rubeola maligna ut nunc descripsimus magna ex parte lethalis, et aliquando cum raucitate terminat. Omnia symptomata Rubeolæ malignæ peculiaria jam recensita, plerumque eruptioni, frigore vel alio modo repulsæ, ascripta fuerunt; non tamen desunt medici qui dubitant utrum hæc opinio justa sit, an signa in-

fausta, naturæ epidemici malignæ attribuenda sint.

Rubeola *nigra* dicitur species a vulgari antea descripta non diversa, nisi in colore efflorescentiæ, quæ circiter diem septimum nigrescit: Si WILLANO credamus, sine periculo est, et usu acidi sulphurici facile cedit.

Rubeola *sine Catarrho.*—Aliquando invadit species spuria, efflorescentiam morbo vero similem ostendens, omnibus vero signis catarrhalibus quæ hunc morbum præcipue constituunt carens; hæc Rubeolæ veræ cursui non obstat, et ei ut plurimum per paucos dies tantum præcedit, nonnunquam vero etiam per aliquot annos; liberos præcipue adoritur, et omnino sine periculo est. Nunc intelligere licet cur antiqui censebant Rubeolam iterum invadere, etiam si ab aliis exanthematis dignoverant, et nequaquam mirabile eos sic judicare, cum tam similes inter se sunt efflorescentiæ. Dubitare licet sitne hæc Rubeolæ species, etiam ad hunc morbum an Scarlatinam magis attinet.

SECTIO CADAVERIS.

Quoniam hic morbus non valde lethalis est, raro occasionem habemus cadavera scrutari. Quandocunque vero hoc accidit, inveniuntur præcipue signa inflammationis in visceribus thoracis et abdominis, sæpe cum sphacelo. In thorace sæpissime inveniuntur hæc signa; ut effusio in pleuram vel cum vel sine materia puriformi et lympha; pulmones ipsi quoque inflammati aliquando sunt, et sanguine nigro exsaturati; inflammatio tracheæ quoque se ostendit, usque ad bronchos extendens. Si succubuit ægrotus, eruptione adhuc manente, trachea et bronchi maculis interspersæ apparent, ut pustulis accidere solet post variolam.

CAUSÆ.

Causa excitans hujus morbi est semper contagio specifica, quæ in corpus recepta, symptomata jam descripta concitat, vi aliqua stimulante. Modi quibus usitate propagatur duo esse censen-

tur, scilicet contactus, et inspiratio aëris contagione inquinati: experimentis vero constat propagari posse insitione sanguinis ægro sumpti. De natura ejus vero parum novimus, nisi per effectus quos ostendit. Cum in hyeme incipit sævire ut plurimum, et in æstate desistit, necessarium est admittere cœlum humidum et frigidum propagationi ejus aptum esse. Inter causas *prœdisponentes* enumeranda est ætas infantilis, quatenus infantes quamplurimi huic morbo succumbunt, nisi credamus eorum majorem numerum qui ab eo non prius affecti fuerunt hoc explicare. Alia causa *prædisponens* a WILLANO enumeratur; scilicet conditio corporis febrilis: Hæc verba habet: "Others, who are less susceptible, may have frequent communication with persons affected during several successive weeks; but the contagion does not act upon them, unless the body be brought into a feverish state by some incidental cause, as taking cold, by watching, or by mental suffering *."

* Ut supra.

DIAGNOSIS.

Nonnulli sunt morbi quibus Rubeola in initio confundi possit, quorum præcipui sunt Roseola, Scarlatina, et Variola. Roseola malum fere Symptomaticum, signis catarrhalibus, febre vehemente, eruptione lunata caret; nec certo post febrem tempore se ostendere consuevit. A Scarlatina summi momenti est Rubeolam primo stadio discernere, quoniam modus medendi in ambobus morbis sæpe valde diversus est. In Scarlatina magis diffusus est rubor, et citius apparet; die secundo plerumque erumpit, et sequente ad omnes trunci corporis partes se extendit: magis vividi coloris est quoque, et non tam elevatæ sunt maculæ ejus; oculi minus tumidi et suffusi sunt, tussis levior, cynanche vero multo gravior. A Variola non facilis diagnosis est in initio; apparente vero eruptione varioloide, facillima est; quoniam sub cute sentiuntur tangente, corpuscula quasi arenæ grana tenuissima; etiam per omnem ejus cursum majore ipiphora et tussi stipatur Rubeola; quæ ex

nonnullorum sententiis hos morbos satis dignoscunt.

PROGNOSIS.

Signa quæ malam faciunt prognosin sunt pulsus frequens et durus, vel parvus et intermittens, calor superficiei inæqualis, respiratio difficilis et frequens, thoracis dolores magni, faucium affectio gravis, expectoratio difficilis, vomitus post eruptionem manens, cum cephalæa et febre typhode, diarrhœa gravis, eruptionis repulsio, signis gravibus thoracis et abdominis subito supervenientibus; delirium inter symptomata infausta haberi debet. Ab horum enumeratione facile intelligere est quæ symptomata exitum propitium indicant; ideoque non necesse est ea hic recensere.

MODUS MEDENDI.

De Sanguinis Detractione.—Si sit pyrexia magna cum pneumoniæ signis gravibus, maximi beneficii erit sanguinem mittere; de tempore vero eum mittendi medici dissentiunt. Morton

dicit maxime juvare cum eruptio formata sit * ; SYDENHAM † quidem postquam evanuerit ; ex aliorum sententia (quo numero est Dr MEAD ‡), sanguinem mittere necessarium et tutum est quandocunque symptomata gravia sunt, et usum hujus remedii postulare videntur. Huic opinioni fere omnes nunc annuunt, et sanguinem mittunt in quavis cursus ejus parte, secundum asperitatem signorum : signa quæ præcipue eum postulant sunt, respiratio difficilis et frequens, pulsus oppressus, et tussis gravis, cum doloribus aliqua in thoracis parte. De usu hujus remedii hæc verba habet Dr CULLEN : "This remedy may be employed at any time in the course of the disease, or after its ordinary course is finishe It is to be employed, more or less, according to the urgency of the symptoms of fever, cough, and dyspnœa ; and generally, may be employed very freely." Sanguinis missio sæpe utilissima est ad diarrhœam sistendam, quæ aliqnando in hoc morbo oritur ab inflammatione membranæ mucosæ in-

---

* De Morbillis et Febre Scarlatina, p. 37.

† Opera, vol. i. p. 122.

‡ De Variolis et Morbillis, p. 74.

testinorum. Modus detractionis necessarie pendebit ab ætate, viribus et sexu ægrotantis; multum quoque a natura epidemici, nam si symptomata typhoidæa existerent, hoc remedium caute adhibendum est; hisce vero temporibus hanc formam raro induit, nisi in oppidis magnis, aliisque locis aëre impuro inquinatis.

Si capitis dolore maxime vexatur æger, a vena jugulari vel ab arteria temporali, idoncum erit sanguinem mittere, et quando propter ætatem teneram sanguinis detractio generalis fieri non possit, hirudines, parti dolenti applicandæ sunt.

De Catharticis.—Medicamenta quæ alvum movent omnino necessaria sunt; non sane in fine morbi tantum, ad materiam morbificam eluendam, ut medici quondam putabant; sed etiam ab ipso initio, ad febrem minuendam. Aperientia mitiora anteponenda sunt, si symptomata inflammationis non multum urgent; talia sunt sales neutri, oleum ricini, pulvis rhei et magnesiæ, et infusum sennæ, dosibus parvis, aliaque hujusmodi. Omnino necessarium est unam dejectionem vel duas in die elicere; præsertim si pyrexia gravis sit. In fine præcipue dantur medicamenta hujus classis,

si hoc tempore minus apparuerit diarrhœa. Hic notandum est, si gravis inflammatio viscerum thoracis sit, medicamentis mitissimis opus esse, quoniam fortiora sputum impedire dicuntur.

De Expectorantibus.—In exemplis fere omnibus etiam levissimis sputum difficile est, ideoque nos oportet eum adjuvare: hoc consilio medicamenta, *expectorantia* dicta, adhibenda sunt. Horum præcipua sunt emetica, dosibus parvis ad nauseam concitandam; cujusmodi sunt vinum ipecacuanæ, acetum scillæ, syrupus scillæ, et vinum antimoniale. Quoniam aliquando necesse erit emeticis ad vomitionem usque uti, hæc ipsa medicamenta majori dosi danda sunt. Observandum tamen non pro bono emetico a nonnullis haberi vinum antimoniale pueris, quippe quod symptomata infausta aliquando inducere dicitur nimia vehementia, idiosyncrasi ægri incognita; ideoque si hoc remedium adhibere non visum sit, ei substituere licebit alia medicamenta supra recensita.

De Demulcentibus.—Si medicamentis sic dictis uti, idoneum judicetur, tum mucilaginem gummui Arabici, simplicem vel cum pauxillo vini

antimonialis, vel cum opio ut in linctu opiato, usurpare licebit. Alia remedia sunt quæ ad titillationem faucium levandam juvare putantur; horum vero præcipuum nobis esse videtur, vaporum aquæ calidæ inhalatio; sputum quoque multum juvat.

De Sedantibus.—Opiata plerumque noxia esse existimantur in hoc morbo, ut in aliis morbis classis pyrexiarum: quando vero signa inflammationis levata fuerunt et cum vigiliis vexatur æger, maximi beneficii sæpe inveniuntur esse ad soporem: in tempore desquamationis quoque, cum valde molestus sit pruritus, opiata utilia erunt. Eodem consilio quoque adhibetur balneum calidum, vel tepidum, quod melius est, quia irritationem cutis minuit, squamulas furfuraceas abluit, omnisque periculi expers est, si postea frigus vitetur. De aliorum sedantinm usu in morbo primario non multum docuit experientia, ideoque hic prætereunda sunt.

Alia medicamenta quandoque necesse erit usurpare, exempli gratia diaphoretica, vesicatoria, aliaque; cum vero in hoc uti in aliis morbis adhibenda sunt, non est cur de iis hic fusius tractemus.

De Rubeolæ Vulgaris ratione medendi, adhuc locuti fuimus, et quoniam varietatis ejus (Rubeolæ Malignæ) descriptionem separatim dedimus; idoneum videtur esse curationem ejus quoque seorsum decribere. Quamvis alia sint signa quæ sanguinis detractionem postulare viderentur; status tamen debilis circuitus sanguinis, hoc remedium dubium, si non periculosum, reddit. Huic conditioni circuitus sanguinis optima remedia externa sunt fomenta calida et balneum calidum: intrinsecus sæpe necesse erit stimulantia adhibere; scilicet, vinum aqua et saccharo commistum (Anglice *negus*), serum vinosum, aliaque hujusmodi; eodemque tempore, maximo cum beneficio adhibetur catharticum acrius; uti pulvis jalapæ compositus, vel alia cathartica ex submuriate hydrargyri, aloë, scammonia et colocynthide confecta. His substituere aliquando licebit enemata stimulantia, ex oleo terebinthinæ, vel solutione assæfœtidæ constantia.

Si sub hac curatione pulsus multum augesceret celeritate vel duritie, cum calore corporis multum aucto; tum vinum et alia stimulantia statim intermittenda sunt, et eodem tempore, sanguinis impetu ad aliquam partem, præcipue ad

caput, thoracem vel abdomen exorto, sanguis statim detrahendus est e parte, per hirudines in infantibus; generaliter vero in ȁdultis, secundum asperitatem signorum hoc remedium postulantium. Vesicatoriis quoque aliquando necesse erit uti; in morbis vero, et epidemicis valde malignis, interdum iis supervenit gangræna, ut in Typho maligno vel Scarlatina maligna non raro accidere videtur.

FINIS.